



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 1. Malè iudicatus Deus bene iudicat malè iudicantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)


- Pfal. 18.
10. constet, *judicia Domini esse vera, justificate
semetipsa, & aliquando ita claram ac mani-
festam Dei paria reponentis poenam, vt est
lumen meridiesque. In hoc triplici læsionis
genere, quicumque ius alterius violat, sibi
dictum putet, quod senior Tobias filio suo
paternè inculcauit: Quod ab alio oderis tibi
fieri, ne tu alteri facias.*
- Pfal. 36.6.
- Tob. 4.
16.

C A P V T VI.

*Iudicium temerarium talione punitum,
& puniendum.*

§. I.

*Malè iudicatus Deus benè iudicat malè
iudicantes.*

- S. Thom.
1. contr.
Gent. c.
.95. Irenæ.
lib. 4
c. 47 & 48.
Thalmud
ord. 1.
Dist. 5 &
S. Thom.
1. cont.
Gent.
cap. 6.
-  Veniam admodum non sine sacrilega
blasphemia, ita neque sine stulta
insania hæretici Luciferiani Deum
accusauerunt, quòd eiecerit de cælo Luci-
ferum, pessimi spiritûs mali patroni: Mar-
cionistæ autè, quòd indurauerit Pharaonem
& in mari rubro submerserit exercitum Æ-
gyptiorum: Thalmudistę denique, qui dicere
audent, Deum sæpe flere: quòd euerterit
templum, Iudæosque disperserit. Quasi verò
summus Iudex malè iudicauerit, quando il-
lum de

lum de cælo expulit, qui Altissimum ipsum voluit de solio deturbare; aut quando crudelem regem aquis extinxit, qui in tot infantibus submersis extinguere tentavit totam gentem Hebræorum; vel quando illos dispersit, qui Filium illius, eiusdem gloriæ & diuinitatis participem, infamissimo genere mortis interimentes, in crucem sustulerunt. Itaq; Deus est *fidelis, & absq; vlla iniquitate, justus, & rectus*; quia *rectum iudicium eius*. Quid enim? an permittere debet, vt homo nullo delectu, ita temerè iudicans, aut suspicionibus sinistris alterum vulnerans impunè ferat iudicium ac suspensiones? Tunc iniustus esset, si non iudicaret, & mala non plecteret. Vt ergo & alios deterreret à temerè iudicando, & alios consolaretur, qui temerè iudicantur, disertè monuit: *Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Vides iudicij diuini æquitatem, humani talionem?

Deut. 32.

40.

Psal. 118.

137.

Matth. 7.

1.

§. II.

Christus & D. Paulus iudicium temerarium prohibentes.

In quæ verba ita scribit S. Augustinus: *Quia temporalia* (quorum sollicitudinem

S. Augustin de sermone

F

Chri-